

dicta sunt; quibus non obstat, quominus Deus frequentius utatur, aut requirat hujusmodi motum et operationem instrumenti, quia hic est suavior modus utendi creatura ut instrumento, et elevandi illam ad superiorem actionem, quando commode fieri potest; quia est magis accommodatus ordinario modo operandi instrumentorum. Nihilominus tamen, cum hic modus instrumenti non censeatur necessarius simpliciter ad hanc instrumentariam actionem, quando ille non adhibetur, inquirendum necessario est aliquid aliud quo instrumentum constituatur in actu primo ad talem actionem. Imo etiam, quando talis motus adhibetur, non potest ille secundum proprias vires naturales consideratus constituere divinum instrumentum in actu primo ad supernaturale opus efficiendum; quia imperfectior est talis motus, quam res quæ illo afficitur seu movetur; ergo neque ille potest esse virtus activa naturalis ad talem actionem et effectum, neque entitas ipsius instrumenti, ut verbi gratia, humanitatis aut vocis Christi, ut sic mota, seu ut affecta tali motu, potest esse virtus activa naturalis ad talem actionem vel effectum. Probatur ac declaratur ex re ipsa, inductione facta, nam hic motus, ut D. Thomas aperte declarat, non est nisi aut contactus per manus, salivam, aut vestes Christi, vel aliquid hujusmodi; vel vox Christi imperantis et loquentis; vel ad summum erit actus intellectus aut voluntatis, quo imperat, seu vult talem effectum fieri; omnia autem hæc sunt ex sese insufficientia ad hanc virtutem activam, quæ ex natura sua sit virtus instrumentalis ad talem effectum; quia, si sit contactus corporeus, ille vel nihil addit intrinsicum et reale uni corpori, præter relationem vel denominationem ab alio corpore propinquo, vel ad summum addit motum localem, et aliquod novum ubi, et cum eo conjungi potest aliqua alteratio corporalis, quamvis hæc accidentaria sit; omnia autem hæc sunt imperfecta et ex se improportionata ad omnem supernaturalem effectum; et idem est de sono vocis corporalis, quod attinet ad realem entitatem ejus; nam de significatione quam habet ad placitum, jam satis ostensum est non posse esse principium vel rationem physice efficientiæ, cum nihil sit præter denominationem extrinsecam aut ens rationis. Ac denique idem est de actibus immanentibus intellectus et voluntatis, quia, si sint naturales, non solum ex se non sunt activi talium effectuum, sed etiam sunt inferioris ordinis ac rationis;

si vero sint supernaturales, saltem ex natura sua non sunt formæ activæ gratiæ, verbi gratia, in alio, aut resurrectionis mortui, vel similibus operum. Denique rationes, quibus probamus qualitatem superadditam non posse esse instrumentum natura sua ordinatum ad has actiones, et habens virtutem connaturalem etiam instrumentariam ad illas, a fortiori probant hunc motum, vel actum, qui fit circa instrumentum Dei, non esse natura suam activam instrumentariam ad tales effectus, et consequenter non constituere formaliter tale instrumentum in actu primo in ordine ad talem actionem.

18. Quod si forte dicatur, etsi formaliter non constituat instrumentum in actu primo, tamen ex divina ordinatione esse conditionem necessariam ut tale instrumentum per divinam virtutem in actu primo constituatur, facile hoc totum concedemus seu permittemus; inquirendum tamen ac declarandum superest, quid sit illud quo formaliter constituitur tale instrumentum in actu primo ad agendum; in hoc enim cardo totius quæstionis versatur. Nam, licet actus primus, de quo in præsentem agimus, comparetur ad effectum seu actionem in actu secundo in ratione efficientis, tamen, comparatus ad ipsam causam, vel principalem, vel instrumentalem, formaliter seu per modum formæ constituentis ad illam comparatur, vel secundum rem, si sit qualitas aut forma distincta, vel secundum rationem, si sit per identitatem realem, quomodo Deus est formaliter activus per omnipotentiam suam, et calor est activus sua naturali virtute. Unde, etiam si dicatur quod ille motus divinis instrumentis impressus, vel naturalis operatio ab eis manans, quamvis secundum se, et natura sua, non sit vis activa et instrumentaria ad hujusmodi effectus miraculosos, tamen, ut est a Deo movente quasi artificiose seu miraculose, habere sufficientem rationem virtutis activæ instrumentariæ, quia jam non spectatur ille motus secundum se tantum, vel secundum præcisam naturam suam, sed ut elevatur a principali agente; licet hoc (inquam) dicatur, non repugnabimus, dummodo sufficienter explicetur quid sit motum illum elevari a Deo, seu esse artificiosum, ut subest divinæ motioni aut virtuti, quod ad eandem difficultatem revolvitur, in qua diximus esse controversiæ cardinem, quamque in sequente puncto tractabimus. Nihil enim interest quod hæc elevatio, seu subordinatio ad divinam virtutem,

attribuatur rei quæ dicitur instrumentum, mediante motu qui in illa fit, ut cum dicitur elevari caro Christi, medio contactu, vel aqua, per motum quo ad abluendum movetur; aut quod ipsimet motui seu contactui tribuatur, ut cum dicitur ipse contactus vel ablutio, ut est motio Dei artificiosa, elevari, ut per illam communicetur instrumento virtus agendi, vel ut sit illi virtus agendi; his enim omnibus dicendi modis idem dicitur, quamvis diversis rebus attribuatur, quæ est materialis differentia potius quam formalis, quantum ad præsentem difficultatem spectat. Igitur, quod attinet ad hunc realem motum, vel contactum, vel actum, vel aliquid hujusmodi quod regulariter solet esse prævium in his divinis instrumentis, vel efficientiis eorum, nulla est dissensio quæ ad rem pertineat, sed tota esse potest in hac elevatione divinorum instrumentorum explicanda, et in eo quod ex parte eorum requiri potest, ut elevabilia sint, sive cum aliquo motu physico, sive absque illo eleventur.

*Declaratur opinio quæ sine potentia obedientiali activa ponit efficientiam physicam, per solam extrinsecam elevationem.*

19. *Argumenta prædictæ sententiæ.* — His ergo suppositis, et seclusa potentia obedientiali activa, propter rationes supra factas, aiunt prædicti auctores, hæc instrumenta divina, etiamsi ex vi suæ entitatis nullam habeant vim activam, nec naturalem, nec supernaturalem, nec obedientialem, et quamvis etiam non detur eis talis virtus per qualitatem, aut rem novam illis inhærentem, fieri activa per solam conjunctionem et actualem subordinationem ad virtutem Dei principalis agentis; quam conjunctionem aiunt ordine naturæ antecedere effectum talium instrumentorum, et non ponere aliquid reale positivum supra entitatem instrumenti, nec modum aliquem realem in instrumento receptum, ultra materialem motum vel contactum, si fortasse circa illud fiat; sed addere solum prædictam subordinationem ipsius rei, quæ instrumentum dicitur, ad virtutem Dei. Unde tandem concludunt creaturam non constitui in actu primo ad agendum instrumentaliter cum Deo, per aliquid novum, et in ea receptum, sed per divinam virtutem increatam ineffabiliter illi conjunctam, seu per subordinationem ad increatam virtutem Dei, et ad imperium practicum ejus. Quæ sententia sic exposita potissimum in eo fundatur, quod,

seclusis aliis modis declarandi hanc efficientiam et elevationem instrumentorum Dei, nullus alius sufficiens ac possibilis excogitari posse videtur. Quod autem hic sit sufficiens ac possibilis, non aliter probatur, nisi quia nec involvit repugnantiam, nec afferri potest ulla ratio ob quam prædicta subordinatio non sufficiat ut creatura substans increatæ virtuti Dei, et divino imperio, instrumentaliter cum Deo efficiat quod ipse suo imperio principaliter operatur, concurrente cum sua creatura ad instrumentalem actionem. Secundo, declaratur in hunc modum, quia imperium Dei practicum, licet formaliter sit immanens, tamen virtute est transiens, estque infinite suavitatis ac efficaciam, et priori ratione sese accommodat suis creaturis in agendo; posteriori autem ratione eis utitur, easque elevat ad agendum, prout vult; ergo virtus divina applicata creaturæ per hoc imperium potest illam constituere in actu primo ad operandum in ratione instrumenti, absque alia re superaddita. Tertio, quia actio, qua Deus et instrumentum ejus producant gratiam, est una et simplex; ergo non postulat duas virtutes, sed unam, quæ per se est in principali agente, scilicet Deo, communicatur autem creaturæ ut instrumento. Quarto, instrumentum non operatur in virtute propria, sed principalis agentis; ergo, ut constituatur in actu primo, satis est quod habeat immediatam conjunctionem ad virtutem causæ principalis. Quinto, quia causa inferior perficitur in ratione causæ ex conjunctione et subordinatione ad superiorem absque superaddita entitate. Sexto, confirmatur hoc et declaratur exemplis. Primo: color per conjunctionem ad lucem confortatur, et fit potens ad producendas species visibiles, ad quas producendas non erat in actu per se solus, sed tantum in potentia; et tamen lumen, per quod fit potens, et constituitur in actu ad hujusmodi actionem, non inest illi, sed tantum ei conjungitur. Secundum exemplum est de phantasmate, quod per conjunctionem intellectus agentis constituitur in actu primo, ut instrumentum ad efficiendam speciem intelligibilem; et tamen nihil sibi inhærens recipit ab intellectu agente, per quod in actu primo constituatur. Tertium exemplum est de motu cœli, qui, ut est ab intelligentia, est vivificus seu aptum instrumentum ad producenda viventia, absque additione entitatis. Quartum est de calore, qui per conjunctionem ad animam est instrumentum productivum carnis; per conjunctio-



nem vero ad formam ignis, est instrumentum productivum ignis, quamvis in se realiter non immutetur. Quintum est de intellectu et voluntate, quæ potentiæ (juxta opinionem satis communem, et a multis Theologis probatam) producant primos actus supernaturales, absque ullo habitu vel qualitate superaddita, sed per solam subordinationem ad divinum auxilium.

*Impugnatur prædicta sententia.*

20. *Causa non constituitur in actu primo ad agendum per solam denominationem extrinsecam.* — Hic modus explicandi activitatem divinorum instrumentorum, apertam (ni fallor) involvit contradictionem, et cum principiis positis et admissis manifestam repugnantiam. Quod si ostendero, consequenter convincam aut potentiam activam obedientialem esse admittendam, aut hanc physicam activitatem humanitatis Christi, et aliorum divinorum instrumentorum, esse negandam. Prædicta autem repugnantia et contradictio sic ostenditur, quia dictum est causam, etiam instrumentalem, non posse in actum secundum prodire, nisi prius in actu primo constituatur. Hæc autem constitutio non potest intelligi esse per solam extrinsecam denominationem; ergo necessario esse debet per intrinsecam entitatem, vel per formam inherenterem, aut per utrumque simul, aut per alterum tantum, juxta diversos activitatis gradus ac modos; ergo in præsentia materia non possunt instrumenta divina constitui per solam extrinsecam denominationem a virtute divina; ergo non possunt constitui in actu primo per solam subordinationem ad divinam virtutem; nam hoc solum est in illis extrinseca denominatio; ergo necesse est ut supponatur ex parte illorum aliqua vis activa intrinseca, quæ, cum non sit addita per formam inherenterem, erit per propriam entitatem; et hanc ego voco virtutem activam obedientialem; quia, ut ostendam, nec naturalis simpliciter, nec supernaturalis dici potest, neque est tantum passiva.

21. *Duplex modus constituendi causam in actu primo declaratur.* — In hoc discursu, primum omnium demonstranda est illa propositio subsumpta, quod instrumentum non potest constitui in actu primo per solam extrinsecam denominationem; ubi primum advertendum est, duobus modis, in communi loquendo, posse intelligi aliquid constitui in actu primo per entitatem a se distinctam.

Primo, tanquam per formam vel actum dantem ei totam virtutem agendi, quomodo aqua constituitur in actu primo ad calefaciendum per calorem, ipse vero calor se ipso constituitur in actu primo in ratione virtutis calefactivæ ut sic. Secundo modo, tanquam per formam vel actum complementem vim activam, quæ aliquo modo in altera entitate inchoata erat, non tamen completa; quomodo species visibilis dicitur constituere visum in actu primo ad videndum; non enim dat illi totam vim activam videndi, sed supponit aliquam ex parte potentiæ necessariam, et addit aliam, quæ ex parte objecti necessaria est. Quando igitur constitutio in actu primo fit hoc posteriori modo, non repugnat quod aliquando fiat per formam inherenterem intrinsecam, ut in exemplo posito de visu et specie, aliquando vero per formam tantum, seu entitatem assistentem, seu extrinsece circumstantem, et quoad hoc extrinsece dominantem, ut intellectus beati dicitur constitui in actu primo ad videndum Deum per divinam essentiam.

22. Ratio autem hujus posterioris partis (prior enim est per se nota) est quia, quando aliquid dicitur constitui in actu primo per aliud, solum quia complet vim activam ejus, tunc illud sic constitutum non denominatur agens vel activum, præcise ratione alterius formæ vel entitatis extrinsece illi assistentis, sed ratione activitatis quam per suam entitatem habet, saltem inchoative; neque effectus vel actio pendet per se a sola entitate, seu forma assistente, seu extrinsecus constituyente aliam in actu primo, sed etiam pendet efficienter et per se ab alia re, quæ in actu primo constitui dicitur; ut in exemplo posito visio beatifica non tantum pendet ab essentia divina, sed etiam ab ipsomet intellectu hominis vel Angeli beati, qui non dicitur principium efficiens visionis propter efficientiam essentia diviniæ ut sic, sed propter efficientiam et influxum quem per propriam entitatem habet. Denique in hoc posteriori modo constitutionis in actu primo (si res attente consideretur), non tam unum per aliud in actu primo constituitur quoad rem ipsam, quam ex utroque consurgit unus integer et completus actus primus respectu actionis vel effectus; ac si diceremus in effectibus actionum causarum secundarum agens in actu primo complete et integre constitui ex virtutibus causæ secundæ, et causæ primæ conjunctis et subordinatis in ordine ad eandem ac-

tionem; quamvis quoad denominationem, quando una ex his causis est incompleta et insufficientis in suo ordine ad effectum secundum propriam rationem ejus efficiendum, tunc dicatur una constituere alteram in actu primo completo et proximo, quia illi adjungitur ad eam juvandam et elevandam ad talem modum agendi. Non est tamen dicendum, nec vere dici potest, tunc constitui causam in actu primo per solam denominationem extrinsecam, cum virtus et entitas intrinseca simul concurrat ad completum actum primum constituendum.

At vero, quando constitutio fit priori modo, id est, quod forma constituens in actu primo, confert formaliter totam virtutem agendi, tunc fieri non potest ut aliquid constituatur in actu primo per virtutem seu entitatem tantum extrinsecus assistentem seu dominantem; sed constitui debet per propriam entitatem vel per formam inherenterem. Quod patet primo inductione in omnibus agentibus, tam naturalibus quam supernaturalibus extra materiam de qua disputamus. Secundo, ex illo eodem principio, quod nihil potest esse in actu secundo, nisi præintelligatur potens in actu primo; nihil enim est potens in actu primo, nisi in quantum est ipsamet potentia activa, vel in quantum potentia activa informatur; nam potentia activa ut sic non reddit potentem, nisi id cui inest, vel per identitatem, vel per informationem; nam, si potentia non sit res distincta a re quæ per illam efficitur potens, erit illi intrinseca per identitatem; si autem sit res distincta, pertinebit ad genus qualitatis; et ideo non potest constituere rem potentem, nisi informando. Quod si talis potentia intrinsece constituat potens id in quo est intrinsece per identitatem vel informationem, non poterit illa ut sic constituere potentem rem aliam omnino distinctam, cui solum assistit, vel quam solum extrinsece denominat. Tertio, quia extrinseca denominatio nullum esse, nullamve perfectionem potest ponere in re denominata; esse autem activum, aliquid perfectionis est, et in aliquo esse fundatur; imo, ut habet commune proloquium, agere consequitur seu comitatur esse. Quarto, quia quando forma constituit se sola rem aliam in actu primo ad agendum, inherendo illi, seu informando illam, tunc res illa sic informata in tantum dicitur activa vel agens, in quantum in se sustentat, vel intra se habet formam, quæ est

principium actionis; sicut aqua dicitur calefaciens seu calefactiva denominative, quia in se habet calorem, quæ denominatio in tantum intrinseca est, in quantum calor intrinsece inhæret aquæ; ergo, seclusa identitate, et seclusa etiam intrinseca informatione, non potest res vere denominari activa a virtute totali prorsus extrinseca.

24. Dices, etsi non possit denominari denominatione intrinseca, tamen posse, supposita alia denominatione seu conjunctione extrinseca. Sed contra hoc est, quia ostendimus denominationem potentis seu activi ex propria ratione esse intrinsecam, tum quia requirit aliquod esse et aliquam perfectionem in re sic denominata; tum etiam quia denominatio potentis est denominatio continentis aliquo modo effectum; quia effectus non fit a causa, nisi quatenus in se recipit esse quod in illa aliquo modo præhabebat; non potest autem effectus contineri in causa per solam extrinsecam denominationem, sed secundum aliquod verum esse, quia extrinseca denominatio nihil est, neque in ipsa causa vere continetur. Quinto, quia nulla potest intelligi conjunctio vel assistentia extrinseca, ex qua talis denominatio proprie ac physice sumatur. Dico autem proprie ac physice, quia dicimur interdum posse quod per amicos possumus; sed illud non proprie ac physice, sed moraliter ac metaphorice dicitur. Item quia dicitur aliquis potens propter divitias, et similia, quæ ipsum non intrinsece afficiunt. Sed illa etiam est potentia metaphorica et moralis. Tamen, loquendo de potentia physica ac per se, nulla potest intelligi conjunctio solum extrinseca, quæ sufficiat ut una res dicatur potens solum per extrinsecam assistentiam alterius; alioqui explicetur aliquo modo talis conjunctio, et quomodo ad hanc denominationem sufficiat; quod hactenus factum non est, neque existimo fieri posse, ut patebit magis inferius, discurrendo per exempla supra adducta, et declarando elevationem divinorum instrumentorum, et omnem conjunctionem, seu assistentiam extrinsecam virtutis divinæ respectu eorum, et ostendendo illam solam non posse sufficere ut illa instrumenta dicantur constitui in actu primo ad agendum.

25. Ac denique declaratur ex differentia inter duos modos constitutionis in actu primo supra adductos; quia, quando res, quæ habet in se aliquam virtutem activam, dicitur constitui in actu primo per assistentiam alte-



rius rei, potest illi præintelligi aliqua conjunctio vel denominatio sufficiens, quatenus virtus illa velut inchoata dicitur quasi compleri vel juvari ex consortio alterius, quanquam, ut dixi, propria ratio vel denominatio agentis seu activi, etiam tunc, non sumatur ab illo extrinseco denominante, sed ab intrinseca activitate quæ in re ipsa supponitur. At vero, quando in re nulla omnino virtus activa intrinseca supponitur, non potest res extrinseca illi conjungi, vel assistere, ut illam adjuvet in agendo, vel ut ex utraque conflatur unum completum agens; et ideo nec potest ibi intercedere aliqua extrinseca denominatio, quæ ad rationem agendi sufficiat, multoque minus potest ibi intervenire aliquid, unde sumatur propria et intrinseca denominatio agentis in actu primo, seu activi aut potentis agere; hæc enim omnia idem sunt. Sexto, explicatur hoc ipsum argumento supra facto de termino dependentiæ; nam, si respectu unius et ejusdem actionis duæ aliæ res ita se habeant, ut una sit tota virtus a qua pendet talis actio, alia vero secundum se nullam omnino vim habeat ad influendum in talem actionem, tunc tota dependentia illius actionis terminatur per se ad illam rem in qua est tota virtus agendi; ad aliam vero nullo modo, nisi quatenus habet aliquam unionem cum virtute agendi in ratione suppositi operantis per illam, et sustentantis illam; ergo, seclusa hac unione, nullo modo intelligi potest quod res, quæ in se nullam habet vim agendi, constituatur in actu primo per aliam rem supposito distinctam, in qua sit tota vis agendi et a qua solum possit extrinsece denominari. Patet consequentia, quia tunc actio non potest intrinsece et per se terminari, secundum suam habitudinem transcendentalem et dependentiam, ad talem rem, cui extrinseca est tota virtus activa; et, physice loquendo, per accidens se habet ad talem actionem. Unde, conservata illa re in qua est tota virtus agendi, etiamsi alia de medio tolleretur, posset talis actio conservari, quia maneret totus terminus, totaque virtus a qua pendet. Igitur, ut aliqua res sit activa, et maxime ut sit aliquo modo principium per se actionis, necesse est ut per propriam et intrinsecam formam seu entitatem habeat aliquam vim agendi; et hoc est quod ostendere proposuimus.

*Ostenditur instrumenta Dei non elevari per solam subordinationem, si in eis nulla supponatur potentia.*

26. Ex hoc vero principio probandum superest secundo loco, ad complendum discursum factum, nullam rem posse elevari ut sit instrumentum Dei ad aliquam actionem, per solam subordinationem ad divinam virtutem, seu per solam extrinsecam elevationem, nisi in re quæ elevatur, supponatur aliqua vis activa intrinseca per inhærentiam vel identitatem. Hoc autem probatur primo, quia virtus Dei substantialis, seu quæ in Deo ipso existit, non conjungitur per seipsam formaliter et intrinsece instrumento suo in ordine ad operationem; ergo non potest instrumentum Dei per illam virtutem constitui in actu primo ad agendum, si in se nullam vim activam habet; ergo neque etiam potest constitui in actu primo per solam subordinationem. Antecedens est certissimum, quia illa virtus Dei est subsistens, et essentialis Deo; non ergo intrinsece conjungitur creaturæ, ut sit veluti forma et virtus qua ipsa creatura agat. Deinde hoc sensu damnant omnes Theologi sententiam Magistri dicentis, charitatem increatam ita uniri voluntati creatæ, ut sit illi loco intrinsece principii et virtutis ad amandum. Præterea, quænam unio fingi potest inter virtutem increatam Dei, et aquam, verbi gratia, baptismalem, ut ratione talis unionis dicatur aqua agere per solam virtutem Dei? quia nec talis unio potest esse naturalis, ut per se constat, quia nec fingi potest quæ sit, neque, si esset, sufficere posset ad actionem supernaturalem, sicut diximus de quacunque motione physica et naturali circa aquam. Neque etiam potest illa unio esse supernaturalis; seclusa enim actione aliqua supernaturali Dei in aquam, quænam esse potest talis unio? nulla autem supernaturalis actio ibi intervenit, quia, ut supponimus, nihil supernaturale imprimatur aquæ; nulla ergo ibi fingi potest vera unio; sed hoc solum, quod Deus statuit ac voluit gratiam, non ab ipso solo, sed etiam ab aqua produci; quæ voluntas nullam præviam unionem intrinsecam facit inter Dei virtutem et aquam.

27. Dices: quamvis hæc argumenta procedant in cæteris instrumentis separatis Dei, non tamen in humanitate, quæ est instrumentum conjunctum vere ac realiter, ac suo modo intrinsece unitum divinitati; per quam unionem potest intelligi constitutum in actu pri-

mo ad efficiendas has supernaturales actiones. Sed hoc nihil obstat, quia, ut supra ostensum est, unio hypostatica formaliter et per se ipsam non constituit humanitatem in actu primo ad aliquid supernaturale agendum; quia illa unio non est formaliter ad agere, sed ad esse et subsistere. Unde Verbum, ut humanitati unitum, non est illi formalis ratio operandi aliquid, sed subsistendi, quamvis sit radix ob quam datur humanitati virtus operandi miracula. Quod etiam patet, quia unio creata, quæ est in humanitate ad Verbum, formaliter et natura sua non est activa, quia solum est modus quidam unionis ad subsistendum; subsistentia item Verbi, ut unita humanitati, non est activa ad extra, quia unitur ut est propria Filii; divinitas autem non unitur humanitati, nisi ratione subsistentiæ, non vero in ratione formæ agendi.

28. Imo, si hac ratione uniretur, quod a tali virtute denominaretur agens, non posset dici instrumentum, sed potius agens principale, saltem denominative, quia non ageret principale agens per ipsum, sed potius ipsum ageret per virtutem principalis agentis sibi unitam; sicut aqua agens per calorem non potest dici instrumentum caloris, sed potius denominatur agens ut quod et principale denominative, quantum ad eam actionem, quæ est a calore, ut a principali principio agendi. Et, si fingeremus illam virtutem increatam Dei, non tantum assistendo, sed etiam inhærendo, conjungi creaturæ, et esse totam rationem agendi, non intelligeremus talem creaturam esse instrumentum, sed denominari agens principale quasi materialiter, sicut dictum est de aqua calida calefaciente; ergo multo magis, si daremus, a quacunque unione vel assistentia talis virtutis, posse denominari creaturam agentem, ea ratione non esset instrumentum, sed haberet aliam denominationem agentis veluti materialem, quæ inexplicabilis est, nisi in denominatione suppositali (ut sic dicam), quæ est in Christo Domino per communicationem idiomatum, quatenus ratione unionis hypostaticæ denominatur hic homo operans virtute divina, creans, etc.; sic enim non est instrumentum, sed principale operans. Igitur divina virtus increata non ita conjungitur instrumentis suis, prius natura quam per illa operatur, ut per se ipsam illa formaliter constituat in actu primo ad operandum; igitur per hujusmodi solam unionem (quæ non potest esse nisi extrinseca, ut ostensum est) non possunt hæc instrumenta constitui

in actu primo, nisi in eis supponatur aliqua vis agendi intrinseca, ita ut talis constitutio in actu primo sit quasi ad complendam inchoatam virtutem, non ad conferendam formaliter totam illam, juxta ea quæ explicata sunt.

29. Atque hinc tandem concluditur, solam subordinationem, sine aliqua virtute intrinseca ex parte instrumenti, non posse sufficere ad hanc physicam efficientiam; imo nec posse intelligi veram subordinationem instrumenti et principalis agentis, nisi in instrumento talis virtus vel præsupponatur, vel addatur. Probatur primo, quia talis subordinatio, præter omnem entitatem quæ intrinsece existit in illa re quæ, ut instrumentum, dicitur subordinari Deo, non addit nisi solam extrinsecam denominationem, quia inter additionem intrinsecam et denominationem extrinsecam non potest medium excogitari; hic autem non fit additio intrinseca, ut supponitur; solum ergo relinquatur denominatio extrinseca; ergo non sufficit ad constituendum in actu primo, dando formaliter totum actum primum, seu totam virtutem agendi, sed solum complendo virtutem inchoatam; ergo hanc necesse est præsupponi ex parte instrumenti. Secundo, quia omnis actio instrumentalis, si propria sit ac per se physice, est immediate ab instrumento; ergo, præter virtutem agentis principalis, debet esse in instrumento aliqua virtus intrinseca, a qua procedat actio, ut ab illo est; sed hæc non datur formaliter per hanc subordinationem, ut ostensum est, quia solum est quid extrinsecum; neque etiam effective, quia nihil ponit in instrumento, ut etiam probatum est; ergo debet necessario præsupponi. Antecedens patet, quia agens principale operatur per instrumentum; et ideo necesse est ut actio immediate fluat ab instrumento, et quodammodo immediatius quam a principali agente; quia licet in utroque sit immediate in suo genere, tamen virtus principalis agentis quodammodo se accommodat instrumento; et ideo dicitur per illud determinari ad talem agendi modum. Necessaria ergo est in instrumento propria instrumentalis virtus, quæ in ipso intrinsece et formaliter sit distincta a virtute, quæ est in principali agente; nam alias non principale agens per instrumentum, sed instrumentum per virtutem principalis agentis causaret, et ita actio solum esset a virtute agentis principalis ut a principio quo, et ab instrumento ut a principio quod; hoc autem inintelligibile est, et contra omnem veram rationem instru-



menti. Necessaria ergo est virtus intrinseca in illo, sic adeo ut, si hæc virtus sit aliqua qualitas inhærens ipsi, subjectum illius qualitatis solum quasi materialiter denominetur agens et instrumentum, sicut aqua calida denominatur calefaciens; si autem illa virtus sit ipsamet entitas instrumenti, tunc propriissime ac maxime per se possit talis entitas influere ut verum instrumentum.

30. Quod tertio ita declaratur, quia vel actio, qua fit effectus principalis agentis, pendet immediate ab entitate instrumenti, vel non, sed a sola virtute increata Dei. Hoc secundum dici non potest, alias tale instrumentum revera non est agens, vel activum, cum in se nihil habeat a quo actio pendeat. Si autem dicatur primum, necesse est ut in ipsamet entitate instrumenti sit aliquid distinctum a tota virtute, quæ est in Deo, a quo possit talis actio fluere et pendere; quia, ut dictum est, actus secundus supponit primum, et actio potestatem; ergo hoc, quod est in tali entitate instrumenti, cum de novo non sit in illa, necessario supponitur in eadem ante omnem elevationem seu subordinationem ad Deum ut principalem agentem; hoc autem quod in tali entitate supponitur, vocamus vim activam; quia vis activa nihil aliud est quam id a quo potest fluere ac pendere actio ut actio.

31. *Quidnam elevatio sit.* — Quarto hoc declaratur ex ipso nomine elevationis, et explicando rationem et modum quo in præsentis intelligi potest. Elevatio enim multa seu multiplicem respectum includit, scilicet, ad id quod elevatur, a quo elevatur, ad quod elevatur, et quo elevatur. Id enim quod elevatur, elevationi supponitur; et secundum id non est per elevationem, sed ex se vel aliunde præhabet aliquid quod ad elevationem supponitur; et hac ratione non dicitur vere creatura elevari ad esse, cum creatur, quia creatio nullum esse supponit; elevatio autem dicit provectionem rei ad altiorum seu meliorem statum; unde supponit aliquid esse. Et hac ratione inter alias, id, quod non est, non potest elevari ut sit instrumentum Dei. Rursus quod elevat, est aliquid agens superius, superiori virtute operans, si de effectiva ac physica elevatione loquamur; nam, si sit sermo de morali seu extrinseca elevatione, illa non fit per propriam efficientiam circa rem quæ elevatur, sed vel per moralem causalitatem, vel per extrinsecam aliquam voluntatem, vel conjunctionem al-

terius causæ, ut dicemus. Præterea, elevatio ipsa interdum fit ad esse ut sic; et tunc, si sermo sit de intrinseca elevatione formali et physica, hæc fit per aliquam formam additam rei, quæ elevari dicitur, quo modo anima elevatur per gratiam; si vero sit elevatio tantum moralis, aut per extrinsecam denominationem, fieri potest per extrinsecam formam, seu voluntatem, quamvis hoc nunquam fiat sine habitudine ad aliquam intrinsecam formam; quo modo homo, etiam cum non habet gratiam, nec alia supernaturalia dona, dici potest aliquo modo elevatus ad supernaturalem finem, in quantum ad illum est divina voluntate institutus et ordinatus. Interdum vero est hæc elevatio ad operandum aliquid supra vires ejus rei quæ elevatur; quod uno e tribus modis fieri potest. Primo, quando rei, quæ nullam habet vim agendi talem actionem, additur tota vis agendi; et tunc necessario debet fieri elevatio per formam intrinsecam, ut ostendi, sicut aqua calida dici potest elevari ad agendum per calorem; imo, ut notavi, in hoc genere elevationis, id, quod elevatur, non ad hoc elevatur ut ipsum per se sit vere agens, sed solum per formam quam recipit, atque adeo ut solum denominetur agens quasi materialiter, quia sustentat formam quæ est principium agendi; unde, seclusa tali forma, nullatenus intelligi potest talis elevationis modus. Secundus modus elevationis ad agendum est, quando rei non additur tota vis agendi, sed tantum suppletur quod deerat, per virtutem intrinsecam superadditam; et hoc modo elevantur potentia animæ nostræ, ut intellectus et voluntas, ad supernaturales actus eliciendos, ut certum esse existimo, quidquid aliqui dicant, ut attingam inferius. Tertius modus elevationis ad agendum esse potest per conjunctionem extrinsecæ causæ complentis vim agendi aliquid, ad quod efficiendum, id, quod elevatur, erat ex se insufficientis et improprietatum, et talis est elevatio instrumentorum Dei, ut ex dictis est evidens. Hæc autem elevatio etiam supponit necessario in eo, quod elevatur, aliquam vim activam ei intrinsecam; alioqui hic modus elevationis reduceretur ad primum, quem ostendimus non posse fieri per solam extrinsecam denominationem vel conjunctionem causæ agentis.

32. Quod præterea declaratur, quia hæc elevatio per conjunctionem superioris causæ dicitur habitudinem ad illud, cui talis superior causa conjungitur ut illud elevet; ergo, vel

est conjunctio unius agentis ad aliud, habens aliquam vim activam, vel partialem, vel instrumentalem, et habetur intentum; vel est conjunctio rei habentis totam virtutem agendi ad rem quæ nullam habet; et sic non conjungitur cum illa ad agendum. Dici potest esse conjunctionem principalis agentis ad instrumentum, quod prius natura, quam conjungatur principali agenti, non habet ullam potentiam activam, sed tantum passivam, ut elevatur. Sed, cum supponamus hanc elevationem non esse per impressionem alicujus rei in ipsum instrumentum, manifestus error est, existimare hæc instrumenta elevari per potentiam passivam. Nec refert quod, rem aliquam esse elevabilem ut sit instrumentum Dei, videatur per modum potentia passivæ significari; quia Theologus vel philosophus non debet ex modo significandi vocabulorum decipi; nam etiam esse visibile vel intelligibile, significatur per modum passionis, et tamen non indicat potentiam passivam, sed aptitudinem tantum ad terminandum extrinsece actum; et si aliqua potentia illa voce indicatur, potius est activa ad imprimendam speciem visibilem, quam passiva, cum nullo modo sit ad aliquid recipiendum. Sic ergo in præsentis, aquam esse elevabilem ad efficiendam gratiam, non potest esse potentia passiva in aqua, cum non sit ad aliquid recipiendum, et potentia passiva nihil aliud sit quam capacitas seu potentia ad aliquid patiendum; passio autem sine receptione intelligi non potest. Igitur, esse elevabile hoc modo ut instrumentum, proxime dicit denominationem a principali agente, quod est Deus, qui voluntate sua, et speciali auxilio potest conjungi tali rei ad utendum illa ut instrumento. Unde quoad hoc, elevatio illa in actu primo sola denominatio extrinseca est, et ideo non requirit potentiam passivam ut instrumentum elevabile sit, sed solum aptitudinem, ut sic denominetur; hæc autem aptitudo necessario debet fundari in aliqua potentia activa intrinseca, quæ ex parte instrumenti supponatur, ut per illam possit simul agere cum principali agente; nam sola denominatio extrinseca non potest ad hoc esse sufficiens, ut probatum est. Quin potius, quando aliquid est elevabile ad agendum per potentiam tantum passivam, revera proxime et immediate non est elevabile ad agendum, sed ad recipiendum aliquam formam, et aliquid esse; imo neque est elevabile, ut per se seu per suam entitatem agat, sed ut sustentet formam, quæ est prin-

cipium agendi, et hoc modo dicatur quasi denominative agens, ut videre licet in aqua, quatenus dici potest elevabilis ad calefaciendum; et idem est in similibus: si autem aliquid est elevabile ad agendum per formam intrinsecam et inhærentem, ita tamen ut non solum sustentet formam, quæ est principium agendi, sed etiam ipsum per se vere agat, et influat in effectum, quidquid hujusmodi est, non est elevabile per solam potentiam activam, nec per passivam tantum, sed per utramque; quia passiva requiritur ad recipiendum formam; activa vero ad cooperandum illi; et hoc modo, sine dubio, potentia animæ nostræ sunt elevabiles ad actus supernaturales, qui alio modo non possent esse vitales, multoque minus possent esse liberi, ut statim amplius declarabitur.

*Solvuntur argumenta pro sola extrinseca elevatione proposita.*

33. Ex his ergo manifeste, ut existimo, demonstratum est, sine fundamento potentia activæ, quæ in his instrumentis supponatur, non posse intelligi subordinationem seu elevationem qua constituentur in actu primo ad agendum. Sed, antequam ulterius progrediamur, oportet argumenta solvere quæ contra hoc fiebant, ut nulla relinquatur dubitandi ratio. Ad primum, jam ostensum est quam repugnantiam involvat illa sententia, et cur sit impossibilis et insufficientis ille elevationis modus; quia ex illo sequitur creaturam elevari ad agendum sine potentia agendi, aut præsupposita, aut de novo data. Quod autem dicitur, sufficere imperium Dei ut creatura illi obediat et cooperetur, est quidem verum, quia illud imperium esse non potest, nisi in creatura supponat potentiam ad obediendum, vel illam conferat; potentia autem ad obediendum in præsentis est potentia ad agendum, quia id, quod præcipitur, est ut agat; unde cum de novo non detur, ut ostensum est, necesse est ut supponatur. Dices: hoc solo quod Deus efficaciter velit creaturam agere, ipsa incipiet habere virtutem agendi, etiamsi antea illam non habeat, nec de novo eam recipiat per aliquam rem superadditam, sed solum per imperium Dei. Sed hoc apertam involvit contradictionem, agendo de virtute intrinseca, quia instrumentum ex parte sua constitui debet in actu primo; quia, si voluntas Dei non immutat realiter creaturam, qua vult uti ut instrumento, non potest illam in se reddere potentior et magis activam quam